



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac de ejus voluntate, & Providentia

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Art. II. Vtrum Theologia, quæ est in nobis viatoribus, sit propriè subalternata scientiæ Dei, & beatorum; ac proinde remaneat in Patria?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77232)

naturalis, in absentia etiam subalternantis, esse verè scientias, quantum ad substantiam, quamvis tunc non habeant statum & modum perfectæ scientiæ, eò quod non resoluant suas conclusiones in principia clarè cognita; eo ferè modo quo puer est substantialiter homo, quamvis non sit in statu perfecto & connaturali. Sed quidquid sit de hac sententia, de qua disputant Philosophi in Logica, & Metaphysica.

Respondeo secundo, dato & non concesso antecedente, negando consequentiam, & paritatem. Ratio disparitatis est, quia scientiæ subalternatæ ordinis naturalis, quales sunt Musica, Perspectiua, & Medicina, quando sunt separata à subalternante, dependent in certitudine suorum principiorum, à fide humana, quam discipuli adhibere debent Magistro testificantem veritatem illorum: quæ fides, cum sit fallibilis, non potest influere certitudinem, & infallibilitatem in talia principia, requisitam ad rationem scientiæ. Theologia verò in nobis viatoribus, dependet in certitudine suorum principiorum à fide diuina, quæ est infallibilis, & quæ (vt infra dicemus) majorem in eam influit certitudinem, quam habitus primorum principiorum in scientias naturales.

9. Objicies vltimò: de eadem veritate non potest simul esse fides & scientia, vt dicemus in tract. de fide disp. 1. art. 6. Sed Theologia & fides, circa eandem veritatem versari possunt: hæc enim veritas, *Christus habet humanam voluntatem*, cognoscitur per fidem, cum sit definita ab Ecclesia, & per Theologiam, cum sit conclusio per bonam consequentiam deducta ex illo fidei principio, *Christus est perfectus homo, ex anima rationali & humana carne subsistens*: ergo Theologia non est scientia,

Huic objectioni dupliciter responderi potest, juxta duplicem Thomistarum sententiam: aliqui enim existimant, quod licet cum fide non possit simul stare scientia clara de eadem veritate, bene tamen scientia obscura, qualis est Theologia; tota enim ratio, ob quam fides non potest esse cum aliis scientiis, de eadem veritate, est propter earum euidenciam, & fidei obscuritatem. Dicunt ergo, quod sicut nulla est repugnantia aliquid esse reuelatum in alio principio, & immediatè in seipso (v. g. quod luna eclipsim patiatur, continetur in principio Astrologiæ, & rursus in seipso est experientia manifestum) ita non repugnat, quod de eadem veritate sit fides, quæ est de immediatè reuelatis, & Theologia, quæ est de reuelatis mediatè & virtualiter in principiiis. Hæc solutio & doctrina valde probabilis est, & juxta illam facilè soluitur argumentum, distinguendo majorem. De eadem veritate non potest esse simul fides & scientia clara, seu ex principiiis euidentibus & lumine naturali notis procedens, concedo majorem, Non potest esse scientia obscura, seu procedens ex principiiis obscuris, & per solum fidei lumen cognitis, nego majorem.

Secundò responderi potest, juxta aliorum sententiam, concessa majori, negando minorem, nempe quod Theologia & fides circa eandem veritatem versari possunt: nam quia intelligentia est habitus principiorum, & scientia conclusionum, non possunt esse de eadem veritate & objecto, etsi vtraque habeat claritatem & euidentiam: ergo cum fides sit habitus principiorum Theologiæ, & ipsa Theologia habitus conclu-

A sionum, de eadem veritate & objecto esse nequeunt, licet vtraque sit obscura.

Confirmatur: fides facit assentire veritatibus immediatè reuelatis, & propter testimonium dicentis duntaxat: Theologia verò assentire facit veritatibus mediatè reuelatis, & propter rationem deductam ex principiiis: sed implicat contradictionem, vt aliquis eidem veritati tantum assentiat propter testimonium dicentis, & propter rationem deductam ex principiiis, cum assentire solum propter testimonium dicentis, quodlibet aliud motiuum excludat: ergo & quod habeat fidem & scientiam obscuram de eadem veritate & objecto. Unde ad probationem in contrarium, juxta illorum Aucthorum sententiam, dicendum est, eandem veritatem posse esse reuelatam immediatè in seipso, & mediatè in principiiis fide diuina creditis, sicque in diuersis subjectis posse esse de illa fidem & Theologiam, non posse tamen eundem hominem simul de illa fidem & Theologiam habere, quia vt habeat fidem, requiritur vt illam credat, solum quia immediatè à Deo reuelata est, & ab Ecclesia definita: qui autem Theologiam habet, non solum propter hoc illi assentitur, sed etiam propter medium demonstrationis Theologicæ. Unde sicut licet Philosophus Christianus, cognoscat Deum esse vnum, per duplex medium, scilicet Dei reuelationem in scripturis expressam, & medium demonstratiuum, non tamen propterea habet simul de illa veritate fidem & scientiam claram, vt dicemus infra tract. 1. disp. 1. art. 2. & filius exponemus in tract. de fide, disp. 1. art. 6. Ita licet Theologus, huic propositioni, *Christus habet humanam voluntatem*, per duplex medium, nimirum diuinam reuelationem, & demonstrationem Theologicam, assentiat; non tamen habet de illa simul fidem & Theologiam, sed solum Theologiam; quia, vt dixi, vt quis per fidem assentiat alicui veritati, debet illi assentire tantum propter testimonium Dei dicentis & reuelantis: Theologus autem, non solum illi veritati assentitur propter testimonium Dei & Ecclesiæ, sed etiam propter medium demonstratiuum quod habet. Utraque solutio probabilis est, vnde eruditus Lector eligere poterit eam quæ sibi videbitur probabilior:

ARTICVLVS II.

Vtrum Theologia, quæ est in nobis viatoribus, sit propriè subalternata scientiæ Dei, & beatorum; ac proinde remaneat in Patria?

§. I.

Premittuntur quæ apud omnes sunt certa.

Notandum primò: inter scientias, alias esse subalternatas, & alias subalternantes. Subalternata dicuntur illa, quæ ponuntur sub alia superiori, à qua dependent in certitudine, & euidentia suorum principiorum. Subalternantes verò illæ vocantur, quæ talia principia demonstrant, & tradunt scientiis inferioribus: v. g. Musica dicitur subalternari Arithmetica, & Perspectiua Geometriæ; quia in Arithmetica, principia Musicæ, & in Geometria, principia Perspectiue notificantur, & demonstrantur.

Notandum secundò: ad subalternationem scientiæ naturalis, tres præcipuè requiri condi-

tionem. Prima est, vt sit idem objectum materiale subalternantis & subalternata. Secunda, vt subalternata addat tali objecto differentiam aliquam accidentalem, ratione cuius habeat nouam scibilitatem, & sit radix nouarum proprietatum, quæ in scientia subalternata demonstrantur: vt constat in Musica, quæ addit quantitati discretæ, siue numero, qui est objectum Arithmeticae, differentiam sonori, ratione cuius, numerus est radix omnium proprietatum, quæ in Musica demonstrantur. Tertia tandem est, vt subalternata dependeat in certitudine & euidencia suorum principiorum à subalternante.

Notandum tertio: in beatis duplicem esse scientiam de Deo. Prima est scientia beata, siue visio beatifica, per quam beati clarè vident in Verbo omnia mysteria, quæ nobis hîc obscurè per fidem reuelantur: quæ ab Augustino dicitur *cognitio matutina*. Secunda est illa per quam Beati ex principiis lumine gloriae cognitis, per discursum & lumen naturale intellectus deducunt conclusiones de Deo; easque cognoscunt per species, vel à Deo infusas, vel in via proprio labore & studio acquisitas: & hæc secunda scientia, ab eodem S. Doctore, *cognitio vespertina*, appellatur. Quando ergo inquirimus, an Theologia sit propriè subalternata scientiæ Beatorum, loquimur de prima scientia, quæ est perfectissima, ipsique Deo conueniens, non autem de secunda, quæ, vt constabit ex infra dicendis, non distinguitur substantialiter à nostra Theologia, sed tantum accidentaliter; & est ipsamet Theologia, prout est in suo statu perfecto & connaturali.

Notandum quartò: ex habitibus quos hîc habemus in via, aliquos remanere in patria ad exercitium, alios autem solùm ad ornatum, alios verò nullo modo remanere. Illi remanent ad exercitium, quorum exercitium non est incompossibile cum statu beatitudinis, vt sunt Charitas, Religio, Prudentia, &c. Illi autem remanent tantum ad ornatum, quorum quidem ratio formalis objecti, non habet formalem oppositionem cum ratione formali objecti beatitudinis, exercitium tamen est incompossibile cum statu beatitudinis: vt sunt fortitudo & temperantia, quæ versantur circa passiones. Illi verò nullo modo remanent, quorum ratio formalis objecti, dicit formalem oppositionem cum ratione formali objecti beatitudinis: vt sunt fides & spes, quarum prima habet pro objecto formali Deum non visum, secunda verò Deum non possessum; objectum autem beatitudinis, est Deus clarè visus, & possessus.

§. II.

Duplici conclusione difficultas proposita resoluitur.

Dico primò: Theologiam, quæ est in nobis viatoribus, esse propriè subalternatam scientiæ Dei & Beatorum. Ita communiter nostri Thomistæ, contra Recentiores.

Probatum primò ex D. Thoma hîc art. 2. vbi docet, Theologiam eo modo se habere ad scientiam Dei, & Beatorum, quo se habet Perspectiua ad Geometriam, & Musicam ad Arithmeticam: sed Perspectiua propriè subalternatur Geometriæ, sicut & Musica Arithmeticæ: ergo & Theologia scientiæ Dei, & Beatorum.

Confirmatur primò: idèò Perspectiua ex Aristotele, & aliis Philosophis, subalternatur Geometriæ, & Musica Arithmeticæ, quia eorum

Tom. I.

A principia dependent à Geometria, & Arithmetica: sed principia Theologiæ non minùs dependent à scientia Dei & Beatorum, quam principia Perspectiue & Musicæ, à Geometria & Arithmetica; cum articuli fidei, qui sunt principia nostræ Theologiæ, notificentur, & manifestentur in scientia Dei & Beatorum; sicut principia Perspectiue, & Musicæ, demonstrantur, & notificantur in Geometria, & Arithmetica: ergo non minùs Theologia subalternatur scientiæ Dei & Beatorum, quam Perspectiua Geometriæ, & Musica Arithmeticæ.

Confirmatur secundo: licet in scientiis ordinis naturalis, ad veram subalternationem, præter dependentiam illam principiorum, requiratur alia conditio, nempe quod subalternata contrahat objectum subalternantis, per aliquam differentiam accidentalem, ratione cuius habeat nouam scibilitatem, & sit radix nouarum proprietatum; vt constat in Perspectiua, quæ addit differentiam visibilis, supra quantitatem continuam, quæ est objectum Geometriæ; & in Musica, quæ addit differentiam sonori, supra quantitatem discretam, quæ est objectum Arithmeticæ: hæc tamen conditio non requiritur in Theologia, quia cum eius objectum sit infinitum & illimitatum, sine additione alicuius differentie accidentalis, plures habet modos cognoscibilitatis & scibilitatis, ratione quorum potest diuersas terminare scientias; & cognosci per vnâ scientiam omninò supernaturalem, qualis est scientia Beatorum, & per aliam naturalem, quæ per discursum, & lumen naturale intellectus, ex principiis illius supernaturalis conclusiones deducit: qualem infra dicemus esse nostram Theologiam. Addo quod, in scientiis etiam naturalibus, & quæ versantur circa objectum finitum & limitatum, additio differentie accidentalis, supra objectum subalternantis, tendit tanquam in finem ad saluandam dependentiam illam principiorum: ergo cum in nostra Theologia, talis dependentia subsistat, sine additione alicuius differentie accidentalis ad objectum scientiæ Dei & Beatorum, etiam sine tali conditione, in illa saluatur vera & propria ratio subalternationis. Consequentia patet, antecedens verò optimè explicatur à Caietano, hîc art. 2. Ideo enim requiritur vt subalternata contrahat objectum subalternantis per differentiam accidentalem, quia si objectum esset omninò diuersum, non posset dependere à subalternante in principiis, neque etiam si esset omninò idem, nam in primo casu essent prorsus diuersa principia, in secundo prorsus eadem. Neque etiam posset saluari illa conditio, si subalternata adderet objecto subalternantis differentiam specificam, aut proprietatem: quia eadem scientia agit de genere, & specie, & de proprietatibus naturæ; vnde in illo casu, non saluaretur distinctio scientiarum, nec consequenter vera subalternatio.

E Addunt aliqui cum Capreolo, quod quantum hæc conditio esset essentialiter, & indispensabiliter ad subalternationem requisita, tamen aliquo modo saluaretur in Theologia, quæ est in nobis viatoribus: illa enim addit supra objectum scientiæ Dei & Beatorum, differentiam aliquam accidentalem, nempe reuelabilitatem obscuram, virtuales saltem & mediatas, per quam distinguitur à fide, & scientiâ beatâ; vel, vt alij dicunt, ineuidenciam negatiuam: objectum enim scien-

A ii]

ria Dei & Beatorum, est euidens positiuè, cum petat ab intrinseco euidentiam & claritatem; obiectum verò fidei est ineuidens positiuè, quia ab intrinseco postulat obscuritatem & ineuidentiam: obiectum autem Theologiæ est ineuidens tantum negatiuè; quia Theologia secundum se, & ex sua natura, non postulat obscuritatem & ineuidentiam, sicut fides, sed habet illam tantum per accidens adjunctam, ratione status & subiecti in quo reperitur, & in quo per accidens dependet à fide, gerente vices scientiæ beatæ.

32. Probatur secundò conclusio. Habitus Theologiæ acquisitus in patria, & deducens per discursum, & lumen naturale intellectus, conclusiones ex principiis notis lumine gloriæ, verè & propriè subalternatur scientiæ Dei & Beatorum; quia omnimodè dependet ab illa, in euidentia suorum principiorum: ergo cum habitus Theologiæ, quem hic in via acquirimus, deducendo per discursum conclusiones ex principiis reuelatis, & fide diuina creditis (& qui vt statim dicemus remanet in patriâ) non minùs dependeat in euidentia suorum principiorum, à scientiâ Dei & Beatorum, non minùs etiã illis subalternatur.

13. Dico secundò, Theologiam quam hic in via per discursum acquirimus, remanere in patria. Hæc conclusio sequitur euidenter ex præcedenti: omnis enim scientia subalternata, ex se & ex natura sua, petit conjungi cum subalternante, illique continuari: ergo si Theologia sit subalternata scientiæ beatorum, ex se & ex natura sua postulat illi conjungi & continuari, ac proinde remanet in patria.

Probatur secundò, & simul destruitur præcipuum Aduersariorum fundamentum, declarando differentiam, quæ inter Theologiam, & fidem reperitur: licet enim fides non remaneat in patria, bene tamen Theologia. Ratio disparitatis est, quia fides est essentialiter obscura & ineuidens, ac proinde impossibilis cum scientiâ beatâ, & clara Dei visione: Theologia verò non est essentialiter obscura, sed tantum accidentaliter, & ratione status, in quo per accidens dependet à fide, quæ in nobis viatoribus gerit vices luminis gloriæ, cui Theologia per se, & ex sua natura subordinatur in certitudine & euidentia suorum principiorum. Unde sicut charitas viæ remanet in patria, & transit à libera in necessariam, quando homo mutat statum viatoris, in statum comprehensoris, ex eo quod libertas non est de essentia charitatis, sed solum modus quidam accidentalis, conueniens ei per accidens, & ratione status viæ, in quo regulatur per fidem, & cognitionem obscuram. Ita similiter, quia obscuritas non est de essentia Theologiæ, sed tantum modus quidam accidentalis, per accidens illi conueniens, ratione subiecti, & status viæ, Theologia in patria remanet, & transit de obscura in euidentem, quando homo mutat statum fidelis & viatoris, in statum beati & comprehensoris.

14. Confirmatur primò: dona Spiritus Sancti, quæ sunt in nobis viatoribus, v. g. donum sapientiæ, & scientiæ, remanent in patria, vt docet S. Thomas 1. 2. quæst. 68. art. 6. & tamen per accidens, & prout sunt in nobis viatoribus, dependent à fide, & per illam regulantur, cum in hac vita non detur euidens cognitio de Deo, vt docet idem Sanctus Doctor 2. 2. quæst. 8. & 9. Ergo similiter, quamuis Theologia, per accidens, & ratione status, pendeat à fide, & ab illa regu-

A letur: quia tamen, per se & ex natura sua, petit regulari per lumen gloriæ, & scientiam beatam cui subalternatur, non minùs remanebit in Patria, quam habitus charitatis, & donum sapientiæ & scientiæ. Unde Hieronymus in Epistola ad Paulinum, *Talem scientiam discimus in terris, quæ nobiscum perseueret in caelis.* Et D. Chrysostomus in cap. 13. Primæ ad Corinthios, loquens de scientiâ & cognitione quam hic habemus de Deo, dicit, *Non abolebitur scientia* (scilicet in patria) *sed desinet esse non perfecta.*

Confirmatur secundò: omnis habitus qui perit, vel perit per se, & per introductionem alterius habitus ipsi contrarij: sicut destruitur virtus temperantiæ, quando aduenit vitium ipsi oppositum; vel per accidens, cum perit subiectum in quo est, vel obiectum de quo est: Sed Theologia neutro ex his modis perire potest in patria: ergo in ea remanet. Minor quantum ad secundam partem constat: cum in patria non pereat subiectum Theologiæ, scilicet intellectus hominis, vel Angeli, nec obiectum ipsius, scilicet Deus. Probatur ergo quantum ad primam. In hoc (vt supra ostendimus) distinguitur Theologia à fide, quod fides est essentialiter obscura, & positiuè ineuidens: Theologia verò est obscura accidentaliter tantum, & ineuidens solum negatiuè. Ergo licet fides opponatur luminis gloriæ, & claræ Dei visioni, & per aduentum ipsius destruat, non tamen Theologia.

C Hæc ratio illustrari potest ex D. Thoma 1. 2. quæst. 67. art. 3. vbi dicit: *Quia perfectum & imperfectum opponuntur, impossibile est ea esse in eodem subiecto.* Et statim addit: *Est autem considerandum, quod imperfectum quandoque est de ratione rei, & pertinet ad speciem ipsius, sicut defectus rationis pertinet ad rationem speciei equi, vel bouis, & quia unum & idem numero manens, non potest transferri de vna specie in aliam, inde est quod tali imperfectione sublata, tollitur species rei, sicut jam non esset bos vel equus, si esset rationalis.* Quandoque verò imperfectio non pertinet ad rationem speciei, sed accidit indiuino secundum aliquid aliud, sicut alicui homini, quandoque accidit defectus rationis, in quantum impeditur in eo rationis usus, propter somnum, vel ebrietatem, vel aliquid huiusmodi. Patet autem quod tali imperfectione remota, nihilominus substantia rei remanet &c. Cum ergo imperfectio obscuritatis & ineuidentiæ, non sit de ratione Theologiæ, sed per accidens ei conueniat, ratione subiecti, & status viæ, in quo per accidens dependet à fide, gerente vices scientiæ beatæ; ex hoc discursu D. Thomæ euidenter concluditur, Theologiam nostram in patria remanere.

S. III.

Tria corollaria notatu digna.

E X dictis inferes primò: in beatis triplicem dari scientiam. Prima est perfectè supernaturalis, scilicet visio beatifica, quæ eminentissimo modo habet rationem scientiæ, quatenus per illam cognoscunt in Deo quædam principia, vt Deum esse immutabilem, omnipotentem, &c. Et in illis veritates quæ se habent per modum conclusionum, vt Deum esse æternum, creaturas esse possibiles &c. quas vnico & simplicissimo intuitu vident, virtute luminis gloriæ. Unde talis scientia non est formaliter discursiua, sed eminenter tantum & virtualiter, & à Theologiis vocatur *Scientia beatâ*. Secunda est nostra Theo-

logia, quam hinc in via acquirimus, & quam diximus remanere in patria; & ista est formaliter discursiva, ex principiis enim lumine gloriæ cognitis, & in Deo manifestatis, per discursum, & lumen naturale intellectus, deducit conclusiones quas per proprias species cognoscit extra verbum; & sic lumen gloriæ non concurrat immediatè ad assensum illarum, sed median- te lumine naturali intellectus discurrunt, & ratiocinantis circa principia clarè cognita, & in verbo manifestata: unde talis scientia non est perfectè nec entitatiè supernaturalis, sed imperfectè tantùm, & radicaliter, seu præsuppositiue, vt infra ostendemus de Theologia existente in nobis viatoribus, quæ deducit suas conclusiones ex principiis obscurè reuelatis. Tertia tandem scientia est purè naturalis, quam Beati habent de rebus naturalibus, per principia lumine naturali nota; & hæc est multiplex specie, iuxta diuersitatem specificam objectorum circa quæ versatur, & remanet in Dæmonibus: quia in illis, vt docet Dionysius, omnia naturalia integra remanere.

Inferes secundo: illos qui hinc in via fuerunt Theologi (ceteris paribus) plura cognoscere in patria extra verbum, per proprias species, hinc in via proprio labore & studio comparatas, quam alios qui non fuerunt Theologi. Quia (vt ostendimus) habitus Theologiæ in via acquisitus, remanet in patria, & se extendit ad ea omnia clarè videnda, quæ in via obscurè cognoscebat.

Inferes tertio: Theologiam quam hinc in via acquirimus, non remanere in patria, solùm ad ornatum, sed etiam ad exercitium. Vt enim exposuimus in quarto notabili, illi habitus remanent in patria, non solùm ad ornatum, sed etiam ad exercitium, quorum exercitium non est impossibile cum statu beatitudinis: at discurre- re, & per lumen naturale intellectus, ex articulis fidei clarè visis, & in verbo manifestatis, conclusiones inferre, non repugnat statui beatitudinis: sicut cognitio vespertina, quam Angeli habent de rebus, secundùm quod habent esse in propria natura, non repugnat cognitioni matu- tinæ, per quam illas cognoscunt secundùm quod habent esse in verbo: ergo habitus Theologiæ remanet in patria, non solùm ad ornatum, sed etiam ad exercitium.

§. IV.

Præcipua objectiones soluntur.

17. **O**bjicies primò contra primam conclusio- nem: Scientia subalternans, teste Ari- stotele 1. Post. debet dicere propter quid de princi- piis subalternantis, id est debet illa demonstra- tiue probare; unde communiter dicitur, *Vbi desinit Phisicus, ibi incipit Medicus*: id est con- clusiones scientiæ subalternantis, qualis est Phy- sica, debent esse principia subalternatæ, qualis est Medicina: sed scientia Dei & Beatorum, non dicit propter quid de principiis Theologiæ; quia illa sunt articuli fidei, qui sunt indemonstrabiles, nec possunt probari per causam: ergo &c.

Confirmatur: scientia subalternans non debet attingere veritates, & conclusiones, quæ in sub- alternata demonstrantur, alioquin illæ scientiæ non distinguenterentur: sed scientia Dei, cum sit infinita, attingit veritates, & conclusiones quæ demonstrantur in nostra Theologia: ergo &c.

Ad objectionem respondeo maiorem esse ve- ram in scientiis discursiuis, quales sunt scientiæ

A subalternantes ordinis naturalis, secùs autem quando subalternans non est discursiva, vt con- tingit in proposito. Vnde ad saluandam subal- ternationem Theologiæ, ad scientiam Dei & Beatorum, sufficit quod in illis articuli nostræ fidei notificentur & clarè cognoscantur, non au- tem requiritur quod demonstrantur. Adde quod, in scientia Dei & Beatorum, demonstrantur plu- res articuli nostræ fidei (vt quod Deus sit trinus in personis, omnipotens, æternus &c.) per na- turam diuinam, tanquam per causam virtualem, seu rationem à priori Diuinorum Attributorum: licet enim scientia Dei & Beatorum, non sit for- maliter discursiva, virtualiter tamen discurret, quatenus vnico & simplicissimo intuitu, videt ef- fectus in causis, & conclusiones in principiis.

B Ad confirmationem dicendum est primò: ma- jorem esse veram, quando scientia subalternans est finita & limitata, quales sunt scientiæ subal- ternantes ordinis naturalis: secùs verò, si sit infi- nita, & comprehensiva, qualis est scientia Dei: tunc enim debet ad omnia se extendere, nec so- lum attingere principia, sed etiam conclusiones scientiæ subalternatæ.

Secundò dici potest, maiorem esse quidem ve- ram in scientiis naturalibus, propter idem lumen naturale, & eundem modum procedendi, qui in illis reperitur; non tamen in supernaturalibus, ratione opposita; sufficit enim ad diuersitatem, & subalternationem scientiarum, quod procedant sub diuersa ratione formali, siue sub diuerso lumine, quorum vnum dependeat & subordine- tur alteri, vt contingit in nostra Theologia, res- pectu scientiæ beatæ.

C Objicies secundo: omnis scientia subalterna- ta habet objectum contractius, quam subalter- nans, vt constat in Musica, & Perspectiua, quæ limitant & contrahunt objectum Arithmetice & Geometriæ, per aliquam differentiam acciden- talem, quam illi superaddunt: sed Theologia habet idem omnino objectum, ac scientia Dei, & Beatorum, scilicet Deum sub ratione Deita- tis, vt constabit ex dicendis articulo sequenti: ergo ipsi non subalternantur.

Respondeo primò, maiorem esse veram, quando scientia subalternans versatur circa ob- jectum finitum & limitatum: tunc enim subal- ternata debet illud contrahere, per aliquam dif- ferentiam accidentalem, ratione cuius habeat nouam scibilitatem, & sit radix nouarum proprietatum, quæ in illa demonstrantur: secùs au- tem quando subalternans versatur circa ob- jectum infinitum, & illimitatum; illud enim, ra- tione suæ infinitatis, sine additione alicujus dif- ferentiæ accidentalis, plures habere potest mo- dos cognoscibilitatis, & scibilitatis, ratione quo- rum, prout substat diuersis luminibus, diuersas potest terminare scientias, vt antea exposui- mus.

D Respondeo secundo, quod licet Deus sit in se simplicissimus, vt tamen subest lumini gloriæ, sub qua ratione est objectum scientiæ Beatorum, magis latè patet, & plura in eo cognoscuntur, quam vt subest lumini fidei, & obscurè reuelationis, sub qua ratione est objectum nostræ Theologiæ: quare illa habet objectum contra- ctius, & minùs latè patens, quam scientia Bea- torum cui subalternatur.

E Objicies tertio: non est propriè subalternatio inter scientiam & habitum primorum principio- rum, vt docent Philosophi, quando agunt de

18.

19.

subalternatione scientiarum: sed scientia beata est habitus primorum principiorum respectu Theologiæ, cum per lumen gloriæ, & visionem beatam, articuli fidei, qui sunt principia nostræ Theologiæ, manifestentur, & reuelentur: ergo inter Theologiam, & scientiam beatam, non est vera & propria subalternatio.

Respondeo scientiam beatam habere simul rationem scientiæ subalternantis, & habitus primorum principiorum, respectu nostræ Theologiæ: quatenus enim vno & simplici intuitu, fertur in essentiam diuinam, & in omnia quæ in ea sunt formaliter, habet rationem habitus principiorum; in quantum verò sic videt essentiam diuinam, eiusque attributa, vt cognoscat vnã esse causam virtuales, & rationem à priori alterius, habet rationem scientiæ; & ipsi hoc modo sumptæ dicimus Theologiam nostram propriè subalternari.

20. Obijcies vltimò contra secundam conclusionem: Apostolus 1. ad Corinth. 13. docet quod in Cælo lingue cessabunt, & scientia destruetur: Ergo Theologia non remanebit, sed destruetur in patria.

Confirmatur: adueniente perfecto, euacuatur imperfectum, vt ibidem dicit Apostolus: sed Theologia nostra, cum sit obscura, & ineuidens, est cognitio imperfecta: ergo destruetur, adueniente visione beatificã, quæ est perfecta cognitio.

Respondeo quod sicut quando Scriptura dicit, quod elementa post diem Iudicij dissoluentur: hoc non intelligitur de destructione quantum ad substantiam, sed solum quantum ad statum, vel modum; quatenus scilicet mutabitur in statum perfectiorem: ita similiter quando Apostolus dicit, quod scientia destruetur, hoc non debet intelligi de destructione quantum ad substantiam, sed solum quantum ad modum obscuritatis, vel ineuidentiæ, quem nunc habet, vel quantum ad modum operandi imperfectum, scilicet per conuersionem ad phantasmata, & per species à sensibus acceptas: vterque enim hic modus cognoscendi in patria destruetur, quia tunc (vt docet D. Thomas, super hunc locum Apostoli) non erit ex necessitate, sed ex electione, conuersio ad phantasmata. Et hunc esse sensum Apostoli patet satis ex contextu litteræ, subdit enim: *Cum autem venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est.* Quod statim probat exemplo paruulorum, quorum imperfecta sapientia, & loquela destruitur cum ætate: non enim destruitur eorum sapientia & loquela simpliciter, sed quantum ad imperfectionem; quia adulti melius sapiunt, & loquuntur.

Ad confirmationem dicendum cum eodem S. Doctore 1. parte quæst. 58. art. 7. ad 3. *Quod veniente perfecto euacuatur imperfectum, quod ei opponitur: sicut fides quæ est eorum quæ non videntur, euacuatur, visione veniente.* Non autem necesse est, quod adueniente perfecto, euacuatur imperfectum, quod ei non opponitur. Sicut quia imperfectio cognitionis vespertinæ, non opponitur perfectioni cognitionis matutine, per illam non euacuatur, vt ibidem docet Sanctus Thomas. Unde cum Theologia nostra non opponatur visioni beatæ, quia non importat ineuidentiã posituam, sicut fides, sed negatiuam tantum (vt antea exposuimus) non euacuatur adueniente visione, sicut fides, sed potius perfici-

tur, & consummatur, sicut charitas; vel sicut donum scientiæ, & sapientiæ, aliæque virtutes, & dona, quæ non repugnant statui beatitudinis.

ARTICVLVS III.

Quodnam sit subiectum vel obiectum nostræ Theologiæ?

§. I.

Quibusdam præmissis difficultas resoluitur.

21. Notandum primò ex Capreolo quæst. 4. prologi art. 1. concl. 2. quod in qualibet scientia, aliquo modo differunt subiectum, & obiectum; obiectum enim scientiæ est conclusio in illa demonstrata: subiectum verò est illud quod subijcitur in conclusionibus, & de quo prædicata aliqua, seu passiones demonstrantur. Veruntamen secundum communem Theologorum vsum, subiectum & obiectum, pro eodem communiter accipiuntur, & idcirco in titulo quærimus, quodnam sit subiectum, vel obiectum Theologiæ?

Notandum secundò, obiectum esse duplex, aliud materiale, aliud formale. Obiectum materiale, dicitur illud quod non per se & ratione sui attingitur à scientia, sed ratione obiecti formalis. Formale autem est illud quod per se & ratione sui consideratur: v. g. in potentia visua, corpus est obiectum materiale, quia non percipitur ratione sui, sed ratione coloris quo afficitur: ipse verò color, quia percipitur ratione sui, dicitur obiectum formale.

Notandum tertio cum Caietano, hic art. 3. obiecti formalis duas esse rationes formales distinguendas: aliam quæ dicitur ratio formalis que: aliam quæ vocatur ratio formalis sub qua. Ratio que est res ipsa quæ à potentia, vel scientia percipitur: ratio sub qua illa dicitur, quæ mediante ratio quæ in esse rei consideratur: v. g. in eadem potentia visua, ratio que, est color: ratio verò sub qua, est lux, quia mediante luce visus percipit colorem.

22. Notandum quarto, aliquid posse dici reuelatum dupliciter. Primò, formaliter & immediatè, sicut reuelatum est, Deum esse trinum, Christum esse hominem. Secundò, virtualiter & mediatè, quando scilicet in re immediatè reuelata, alia virtualiter continetur, vel tanquam effectus in causa, vel proprietates in essentia, quæ per discursum deducitur: quo pacto in ista propositione, *Christus est homo, hæc, Christus est sensibilis*, virtualiter, & mediatè censetur reuelata. His præsuppositis.

Dico, obiectum formale & specificatiuum Theologiæ, esse Deum, sub ratione Deitatis, vt cadit sub reuelatione virtuali: ita quod ipsa Deitas sit ratio formalis que: reuelatio verò diuina, virtualis, & mediatè, ratio formalis sub qua. Obiectum autem materiale, extensiuum, & terminatiuum, quodcumque reuelatum à Deo. In hac sententia sic explicata, iam ferè omnes conueniunt: quamuis olim quidam antiqui Theologi assignauerint alia diuersa obiecta, vt res & signa, Christum vt Redemptorem, vel opus nostræ reparationis, Deum vt præmiatorem, vel vt vltimum finem, actum meritorium, & similia: *Attendentes* (inquit S. Doctor hic art. 7.) *ad ea quæ tractantur in ista scientia, non ad rationem secundum quam considerantur.*

Prima